

tulerit Titius, metu in virum fortem cadente dicitur consensisse, adeo ut nullus, irritusque consensus diceretur: quia vir etiam fortis, & constans, mortem sibi interratam majus esse malum iudicat, quam consensum in Bertam, quamvis illa putetur ingrata. Contra vero, dum tyrannus immane supplicium, diramque mortem Christiano homini minatur, nisi Christum, ejusque religionem ejuret; hic si ejuraverit, metu in virum fortem cadente ejurasse non dicitur, sed gravissimi sceleris reus habetur: quia fortis, & constans vir, quodcumque supplicium, ipsamque mortem, malum longe minus aestimat, quam Christi, ejusque religionis ejurationem. Cujus rei rationem assignat Doctor Angelicus in 4. Sent. Dist. 29. Quest. 1. Art. 2. Quia vir fortis, & constans sequitur rationem rectam, per quam scit aliquid, pro quo sit dimittendum, vel faciendum, semper aut minus malum, vel majus bonum eligendum est, & ideo constans & fortis ad minus malum sustinendum cogitur metu majoris mali, non autem cogitur ad majus malum, ut vitet minus malum; sed inconstans & pusillanimis cogitur ad majus malum faciendum, propter metum minoris mali sicut ad peccatum propter metum corporalis pœne.

IV. Jam ad rem nostram veniamus: dum homo interna mente, animoque obfirmato Judæus, qui unam Judaicam religionem uti veram agnoscit, at sanctam, Christianam vero ex adverso uti falsam execratur, ac vanam; is, inquam, dum ad Baptismum suscipiendum, ejurandumque Judaicum, suppliciorum, ipsiusque mortis comminatione compellitur; si forti atque constanti animo est, quodcumque supplicium perferendum, ipsamque mortem subeundam, minus longe malum aestimare debet, quam Baptismatis susceptionem, Judaicæque religionis ejurationem, quandiu in illo conscientia erronea perdurabit. Atque ita si eo suppliciorum metu concutitur, ut & Judaicum ejuret, & sacrum Baptisma suscipiat, non est metus ille viri fortis, atque constantis, sed ignavi, imbellis, & pusillanimis. Ea ergo per vulgata juris regula, que sunt metu cadente in constantem virum, nulla judicantur, & irrita, nihil plane obstat, quominus Romani Pontifices, atque Concilia, ea Judæorum quorundam Baptismata, rata, validaque pronunciare poterint; in quibus suscipiendis, externum illorum consensum metus suppliciorum extorserat: cum viro constantium, & fortium metus ille non fuerit, sed ignavorum, & pusillorum.

Sed est alterum quod opponant Catharini oppugnatores, quodque Theologis Parisiensibus objecere, qui illos in consilium adhibuerant, in casu Episcopi Cenomaniensis. Si, inquit illi, ut valida sit Ordinatio, satis est, quod quis volens ac lubens sacrum Ordinationis ritum in se ac supra se exerceri permittat, etsi is nulla sit religio ac fide; poterit & Judæus, & Turca, Judaica, & Mahumeticæ superstitionis retinens, Episcopus apud nos esse: cum & possit uterque Ordinationem Episcopalem suscipere, seu facta sponsonne, seu amicorum inductu, seu alia quacunque ratione; quamquam pristinam superstitionem nec exuerit, nec reliquerit.

Quasi vero? Ecquis nesciat, ad validam Ordinationem illud primum desiderari, ut qui sacrum ritum in se & supra se exerceri permittit, sit antea baptizatus? Qualis profecto Judæus, aut Turca cum esse non possit, nisi pristina superstitione relicta, nunquam certe contingere poterit, ut aut Judæus, aut Turca superstitionis suæ retinens, apud nos Episcopus extet. Si tamen mihi Judæum, aut Turcam dederis, qui volens ac lubens Baptisma susceperit, ac tum postea sa-

crum Ordinationis ritum in se ac supra se exerceri permittit, quamquam sit ille irreligiosus, & impius, sine lege etiam, sine Christo, sine Deo; erit & ille & valide baptizatus, & valide ordinatus, quamquam in sui damnationem, atque interitum. Quia, ut docet Augustinus, ubi fides non est, fideique restituitur, Sacramenta Christi esse possunt, quamquam prodesse non possunt. Lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, Capite ultimo. Eamque doctrinam confirmat perpetua Ecclesiæ praxis, quæ nullos unquam de quacunque hæresi vel schismate, in quo rite baptizati aut ordinati fuerant, venientes, secundo baptizavit, aut ordinavit.

Urgent illi tamen: Ut rata sit validaque Sacramenti susceptio, illud saltem desideratur, ut seria sit: At dum vir irreligiosus, & impius, sine fide, sine Christo, sine Deo, sacrum Baptisma, aut si mavis Ordinationis ritum, in se ac supra se exerceri permittit, non est tunc seria Sacramenti susceptio, sed illusio; quique sic affectus ad Ordinem suscipiendum accedit, cæremoniam illam nonnisi mimicam gesticulationem, uti Calvinus, agnoscit: non est igitur rata & valida, etiam quantum ad Characteris impressionem, Sacramenti susceptio.

Cui jam responsum a nobis est datum, dum de Sacramentorum administratione, quæ perinde seria debet esse, disputarem: actum nimirum humanum serium dupliciter dici; primo, quia nec fictus est nec simulatus, propterea quod actus exterior interno respondeat; secundo, quia nec jocularis est neque scenicus; dum scilicet quidquid in actu externum est, semoto ludo sit atque joco, etsi forte interno mentis actu minime respondeat. Porro ut rata sit validaque Sacramenti susceptio, necesse omnino non est, ut primo sensu sit seria, sed secundo. Quo sane pacto vir ille irreligiosus, & impius ad Episcopatus ordinem dicitur accessisse: cum extra jocum omnem, & ludum, motu, gestu, habituque gravis accesserit, prudensque ad interrogata composito sermone responderit. Ac licet pro impietate sua, & quo tunc laborabat errore, sacras illas cæremonias, mimicas gesticulationes intus in animo reputaret; easdem tamen externe, non mimice sed serio graviter, ac prudenter excepit. Quod si minus ad salutem, at saltem ad characteris impressionem (quod hic unice quæritur) factis fuit.

Stat igitur certum & inconcussum, in perficiendis Sacramentis, parem esse suscipientium, & ministrantium conditionem: tamque esse illa rata validaque, modo serio libereque suscipiantur externe, quam si serio libereque fortiterque ministrantur: tamen intus occulta secretaque mente repugnant qui recipiunt, aut qui ministrant.

CAPUT XXI.

Num parentum infidelium consensus desideretur, ad Baptismum ipsorum filii conferendum?

I. Quæ a nobis sæpius mota est difficultas, de necessaria Infidelium adultorum intentione, & consensione, ad ratum validamque baptismum suscipiendum, postulat ut ad operis cotinendam inquiramus, qualis in parentibus infidelibus desideretur assensus, ut ipsorum filii licite ac debite baptizentur: licite dico debiteque: cum alias certo certius sit, pueros illos valide baptizari, seu consenserint parentes illorum, seu forte dissenserint.

Nul-

Nulla, ut verum fatear, pluribus æquivocis controversia subest: quæ ut longe removeantur, nonnulla sub ipsum statim initium monere juvat, quæ germanum legitimumque movenda quæstionis sensum aperiant.

II. Infidelium triplex Ordo de more distinguitur. Alii nempe fidem aliquando saltem in Baptismate susceperunt, sed susceptam postmodum reliquerunt, quos & hæreticos dicimus; quod nimirum relicta Ecclesiæ fidem ac religionem sibi eligunt pro arbitrio: hæretici enim idem est ac electio, ab *æpore*, quod est eligo. Alii fidem non re quidem, sed figura saltem susceperunt, figuratam tamen non agnoverunt: quos Judæos, a Juda Tribus nobilissimæ Capite sæpe dicimus, sæpius etiam Hebræos, incertæ originis vocabulo nuncupamus; seu ab Abrahamo, ut aliquibus visum est, seu ab Heber, primigeniæ linguæ cultore ac servatore, ut lubet aliis; seu demum, quod verus autumo, a primæ illorum habitatio nis loco. Hebræus enim transfluvialem sonat, hoc est, habitantem trans flumen, nempe Euphratem in Mesopotamia, quæ prima Majorum illorum habitatio fuit, juxta illud *Jesue 24. Trans flumen habitaverunt patres vestri ab initio Thare pater Avabæ, & Nachor: servieruntque Diis alienis.* Alii demum infideles, qui tertium Ordinem constant, fidem nullo unquam pacto, nulla ratione, nec re ipsa, nec in figura suscipere: seu verum illi Numen colant, sed profanis omnino ritibus, uti Turcæ; seu nullum agnoscant, ut Athei; seu falsum adorent, ut Idololatæ. Hos Gentiles Scripturæ nuncupant; quod alias, uno excepto Judææ populo, ceteræ gentes idololatricæ tenebris involverentur. Nonnumquam etiam Ethnicos dicunt, paris potestatis vocabulo: græce enim Ethnicos, ab *ἔθνος*, gentilem sonat. Ac tum demum Pagani sunt dicti, quasi pagorum habitatores, quo ex tempore extra urbes in pagis habitare jussi sunt, Constantini Magni Imperatoris edicto.

III. Nunc ergo ubi de filiis Infidelium quæstio vertitur, sint ne parentibus dissentientibus ac repugnantibus baptizandi, de Infidelium primi Ordinis, hoc est, Hæreticorum filii controversia non est, quos constat posse dissentientibus atque invitis parentibus baptizari. Cum enim parentes hujusmodi fidem Ecclesiæ in baptismo promiserint; eidemque sua minus facto, ac certe jure summo subiciantur; aliunde vero filios suos & Christiana fide imbuerent, & in Christiana Religione educare teneantur; id ni fecerint, ut faciant cogi debent; ac si renuant, possunt illis invitis ac repugnantibus, ipsorum filii baptizari, cum Ecclesiæ auctoritate, tum Christianorum Principum potestate, mandati Ecclesiastici executionem procurantium. De filiis igitur secundi ac tertii Ordinis Infidelium, Judæorum nimirum, atque Gentilium, quæstio venit; qui cum Ecclesiæ potestati non subiant, haud ita facile intelligitur, quo jure possit Ecclesiæ illorum filios, iis quidem dissentientibus ac repugnantibus, baptizari.

Sed & illorum secundi ac tertii Ordinis Infidelium, Judæorum dico atque Gentilium, aut aliter Barbarorum, non una omnium eademque conditio est. Quamquam enim subiectione civili duntaxat atque politica, Christianis Principibus subesse soleant, præsertim vero Judæi, ut habet Innocentius III. Capite *estis Judæos*, extra de *Judeis*, & *Saracenis*, & D. Thomas 3. parte *quest. 68. art. 10. ad 2. fieri tamen potest, ut penam etiam servili ac despotica subiectione tanquam mancipia Principibus parent; si nimirum vel bello capti, vel pecunia redempti fuerint.*

Serry Tom. VI.

Ac istorum quidem ut est diversa conditio, ita & de ipsis distincta est difficultas; num iis saltem vis a Principibus possit inferri, ad ipsorum filios baptizandos.

IV. De filiis porro dum loquimur, illos duntaxat intelligimus, qui nondum baptismum usum sunt affecti. Si enim illius usum adepti fuerint, nemo non videt, illorum ipsorum, non itidem parentum assensum esse quærendum, ut sacro baptismate initiarentur. Uti etiam dum de conferendo iisdem sacro Baptismate quærimus, non de valida, sed de licita collatione disputamus. Alias enim validum fore Sacramentum nemo ambigit, si debita materia & debita forma conferatur; seu parentes assensum dederint, seu forte negarint; cum id nonnisi externa conditio sit. Quare licitum ne sit, ac summo jure permittum, unice quæritur. Quia in re ad propositæ quæstionis resolutionem, primam hanc cum Doctore Angelico regulam ponimus: Filii infidelium, Judæorum nimirum atque Gentilium, ceterorumque barbarorum, Christianis Principibus civiliter tantum atque politice subiectionem, non possunt, dissentientibus ac repugnantibus parentibus, licite baptizari, donec rationis usum attigerint.

Ii etenim pueri invitis parentibus baptizati, vel relinquerentur sub patria potestate, vel ab ea eriperentur: Si sub patria potestate relinquerentur, patentissimum subverfonis illorum periculum esset, imo certa & indubitata subverfonis causa enim educatione, parentum errores animo imbibere, susceptamque baptismate fidem ejurarent. Si autem ex adverso & patria potestate avellerentur, inter Christianos educandi, sacrum naturæ jus violaretur, quod in suos filios parentes obtinent, ut illos curent instituant fovantque, velut in spiritali quodam sanguine: unde & illos, teallos præsertim atque impuberes, meliori sanctiorique jure possident, quam quæcumque fortuna bona, quæ illis citra injuriam auferri non possunt. Cum itaque juxta sententiam Apostoli, non sint facienda mala, ut veniant bona, nefas omnino est, naturali ac sacro illo patriæ potestatis jure parentes exere, ut citra subverfonis periculum filii baptizentur. Nihil hic auctoritas Principis valet, tamen supra. Quemadmodum enim civilis jurisdictio, qua pollet in subditos, non tollit ab eis dominium reale, aut quasi reale, quod habent in res suas; multo minus tollit ab eis naturale dominium quod habent in filios, præsertim tenellos atque impuberes.

V. Haud me fugit reponere aliquos, Infideles illos & patria potestate, & naturali quod in filios suos habent jure abuti, dum illos baptizari non sinunt; adeoque & naturali illo jure, & patriæ potestate exui posse, juxta tritum effatum, qui abutitur jure aliquo, eo privari mereatur. Sit ita vero, privari tamen eo jure non possunt, nisi ab habente in illos auctoritatem, non qualemcumque, sed eo in ordine, quo jure illo suo abutuntur, in ordine nimirum ad fidem & religionem. Ecquis autem talem in illos obtinet auctoritatem? Non Ecclesiæ, quæ in illos duntaxat exercet auctoritatem, qui suscepto Baptismate suam illi fidem ac religionem obligant; non itidem in extraneos, de quibus ait Apostolus 1. Cor. 5. quid mihi de his qui foris sunt judicare? Non Princeps temporalis, qui in civilibus tantum & politicis dominatum in illos exercet, minime tamen in rebus ad fidem & religionem attinentibus.

Certe si qui abutitur jure aliquo, eo privari a quocumque possit, tamen auctoritatem in hujus-

Q

jumo-

iusmodi non habente, possem & ego privatus homo, & Petro divitias eripere, quibus ad luxum aliave fovenda vitia inique abutitur; & Paulo domum auferre, si eam verterit in lupanar; & Titio agrum, si ex fructibus usuras exercent: quod quam sit absurdissimum, nemo non videt. Auctoritas ergo desideratur, ut quis jure suo alterum privet, non qualiscumque, sed eo in ordine, in quo abusus admittitur.

VI. Quamquam quid opus est verbis, ubi publicum rei habemus experimentum? Augustini digna sententia est *Epist. 54. cap. 5. Si quid tota per orbem frequentat Ecclesia, quin ita faciendum sit, disputare, insolentissima insaniam est. Tota qua late patet Ecclesia, Judæos civiliter ac politice subditos habet, habuitque semper, a Constantini Magni temporibus; habent etiamnum hodie Christiani Principes, habent Christianæ Respublicæ, habent & ipsi Romani Pontifices: nemo tamen omnium, illorum filios invitis parentibus baptizandos sibi sumit: nemo pueros illos & patria eripit potestate, ut tuto, & citra subversionis periculum baptizentur. Aut ergo id sibi licitum fore putant, aut illicitum: si licitum putant, irreligiosi sunt qui non agunt, quod ex caritate & religione tenentur agere; ut pote cedens in salutem animarum, & in Christianæ religionis incrementum: si contra illicitum putant, ac propterea non agunt, nã quæso audaces & impudentes, qui contra totius orbis Christiani sententiam, id licitum arbitrantur?*

VII. Eandem illam a nobis positam regulam confirmat triplex exceptio, per sacros Canones data, tribus in casibus. Exceptio enim firmat legem, ut habet commune proloquium; quodque certis tantum in casibus idcirco licitum dicitur, quod in iis patria potestas minime lædatur, illicitum aliunde supponitur, ubi potestas illa patria violaretur.

Primus excipiendus casus est, si parentum infidelium alter converteretur ad fidem, filiumque baptizari velit, & apud se custodiri & educari, altero in infidelitate permanente, & filium baptizari nolente ac repugnante. Tunc baptizari filium posse, ac etiam debere, jura decernunt: *Cap. ex litteris; extra de Conversione infidelium*, quod est Gregorii IX. responsum, Argentinensi Episcopo datum, & *Cap. Judæi Causa 28. q. 1.* quæ Concilii Toletani IV. definitio est *Cap. 63.* Nec immerito: cum enim in eo discordantium parentum consensu patria jura discussa sint; nec possit uniuscujusque parentis voluntas impleri; eam potius executioni mandare convenit, quæ proli simul favet & religioni.

Alter casus est, si puer infortunio aliquo procul a cura parentum sic avulsus, & in terram longinquam deportatus, absque ulla spe postliminii. Et hunc baptizari jura statuunt, cum nec periculum subversionis subsit ullum, nec patriæ potestati, e qua jam puerum illum casus eripuit, fiat injuria.

Ultimus demum casus est, si puer certo & indubitante sit proxime moriturus. Tunc scilicet parentibus infensis potest occulte & caute, si occasio tulerit, baptizari. Quod a S. Ludovico Bertrando factum historiarum produnt. Tunc siquidem procul abest subversionis periculum, nec filium parentibus eripit baptismi minister, sed mors ipsa proxime secutura. Si tamen forte fortuna contingeret, puerum ita baptizatum, præter omnium expectationem convalescere; e parentum cura, propter subversionis periculum, deberet avelli; *Cap. Judæorum Causa 28. quest. 1. & Cap. 60. Concilii IV. Toletani.* E duobus siquidem malis, quorum alterum necessarium fue-

rit, minus est eligendum; imo jam tunc desinit esse malum, quia incipit esse necessarium: minus porro malum est violatio patriæ potestatis, violatione baptismatis, filique subversione. Quamquam nec tunc proprie loquendo Ecclesia ipsa, aut Christianus Princeps, aut baptismi minister, a patria potestate filium eriperet, sed casus ipse recuperatæ salutis, qui baptizatum puerum, de vita desperatum & conclamatum, velut in vitam eduxit. Atque hæc de filiis infidelium civili tantum & politica clientela Christianis Principibus subditorum.

VIII. Ceterum si parentes pœnali servili despotica subjectione, tanquam mancipia Christianis Principibus parent, possunt iis inconsultis, ac etiam invitis & repugnantibus, illorum filii baptizari. Quæ altera ad propoliticæ quaestionis solutionem regula est.

Ac sic quidem decernit Doctor Angelicus 3. parte, *quest. 68. art. 10. ad 2.* Ubi docet, filios Judæorum, non obstante servitute parentum, non posse illis invitis ordinarie baptizari, quia ordinaria illorum servitus, civilis duntaxat est: factis superque his verbis innuens, posse illos ex adverso invitis parentibus baptizari, si isti vel bello capti, vel pecunia redempti, uti mancipia serviliter parent.

Suffragatur & ratio. Servi enim atque mancipia jure gentium & propriam liberatem, & jus proximum expeditumque patriæ potestatis amittunt. Sic enim una cum filiis domino subsunt, ut non modo se juri ab invicem, verum etiam seorsum divendi possint, pro Domini nutu atque arbitrio: adeo ut parens venditione quandoque cedat Hispano, filius Gallo, seu forte Germano, aut etiam Indo. Quæ semel distractione ac separatione facta, nullum, si baptizetur filius, subversionis periculum subsit; nisi paterno juri, quo jam servus parens devolutus est, irrogatur injuria.

Nec modo baptismum mancipiorum suorum filiis eo pacto procurare Domini possunt, verum etiam & debent: cum in jure paterno succedant patribus; vi cuius debet quisque Christianus baptismum propriis liberis procurare. Sic Patriarchæ ac Justi veteris Testamenti, non modo proprios filios circumcidebant, sed & servos tam vernaculos quam emptitios, (*Exodi 13.*) quamquam minor longe tunc esset circumcisionis necessitas, quam sit modo baptismatis. Non ideo tamen perinde possunt parentes ipsorum quantumvis servos baptizare invitos, ac repugnantes. Quia baptizandorum adultorum assensus de necessitate Sacramenti desideratur; nec suppleri ullo modo potest: cum contra parentum assensum, ad filiorum lustrationem, conditio duntaxat sit, quam in mancipiorum filiis supplet dominorum assensus, qui in eorum jura succedere; supplet & Ecclesia, non solum valide, sed & licite. Quia parentes ratione servitutis proximo, & expedito patriæ potestatis jure devoluti sunt; & ad dominos suos translatus est jus atque dominium.

CAPUT XXII.

Satisfit objectis contra geminas regulas superiori Capite datas.

I. Regula primæ a nobis datæ, de filiis infidelium civiliter tantum, atque politice subditorum, minime baptizandis, nisi parentum consensu accesserit, repugnare videtur exemplum Mathathie viri sanctissimi, atque fortissimi, *lib. 1. Machabæorum Cap. 2.* memorie proditum: qui devicto Antiocho, eversisque profanis Gentilium

aris,

aris, circumcidit omnes pueros incircumcisos, parentibus utique illorum inconsultis; qui suos circumcidi pueros passi non essent. Quod porro Judæis Principibus licuit, in tradenda Gentilibus circumcissione, potiori titulo Christianis Principibus, in tradendo Judæis baptismate, licitum erit.

Exemplum hoc nil ego moror, quod ad rem nostram trahi omnino non possit. Licere Christianis Principibus, quod Judæis licuit, quodque fecit devicto Antiocho Mathathias, concedo lubens; ut illud maxime controvertitur, quid ille gesserit, seu quinam illi pueri fuerint, quos reportata victoria, in finibus Israel circumcidi iussit. Sunt enimvero qui putent, fuisse illos filios Judæorum, quos incircumcisos reliquerant parentes ipsorum, impiis Antiochi mandatis deterriti; qui Mosaicæ legis ritum, ac potissimum circumcissionis observantiam edicto veterat; adeo ut mulieres duas, quæ filios suos circumcidisse inventæ fuerant, per muros præcipitari iussit, infantibus ad ubera suspensis, ut legitur *lib. 2. Machabæorum Cap. 6.* Quare Mathathias devicto Antiocho, sedataque persecutione, pueros illos hæctenus incircumcisos creditur circumcidisse. Porro si sic est, nihil inde adversus statutam a nobis regulam extendi potest: Sed illud unice: posse quoque Christianos Principes iis Christianorum filiis baptismum procurare, qui parentum vel incuria, vel impietate baptizari non essent: Quod quis neget? Alii pueros illos incircumcisos, a Mathathia circumcidi iussit, Gentilium pueros arbitrantur, sed bello captos, qui ex copiis Antiochi, victori Mathathie in prædam cesserant. De hujusmodi vero pueris, non est hic nobis controversia. Dum enim pueri non civiliter & politice, sed serviliter tanquam mancipia, jure belli Principibus subsunt; possunt perinde & circumcidi, & baptizari parentibus inconsultis, & repugnantibus, uti altera statuta regula demonstravimus. Non itaque exemplo illo Mathathie, regula nostra prima concutitur, sed secunda firmatur; quam de Infidelium servilem, & pœnalem subjectionem ferentibus statuimus.

II. Gravioris longe momenti videntur esse, & adversæ sententiæ suffragari Wisigothorum leges, quæ Judæis vim non modicam inferunt, ad baptismum filiis procurandum. Ita quippe legitur *lib. 12. tit. 3. Si quis Judæorum, de his scilicet qui nondum sunt baptizati, aut se baptizare distulerit, aut filios suos vel famulos nullo modo ad Sacerdotem baptizandos remiserit; vel se suosque de baptismo subtraxerit, & vel unius anni spatium, post legem hanc editam, quispiam illorum sine gratia baptismatis transierit; horum omnium transgressor, quisquis ille repartus fuerit, centum flagella decalvatus suscipiat, & debita mulctetur exilii pœna. Res etiam ejus ad Principis potestatem pertineant; qualiter si incorrigibilem durior eum custodierit vitæ, perpetuo in ejus, cui eos Princeps largiri voluerit, potestate permaneat.* Quibus etiam plane consonant leges Hispanicæ, a Sifenando, Ervigio, & Egica Hispaniarum Regibus latæ, sexto, & septimo Christiani nominis sæculo.

Durum id sane. Verum si quis earum legum rationem habere velit, ut inde colligat, posse Judæorum filios invitis parentibus baptizari, colligat quoque necesse est, posse perinde parentes ipsos baptizari invitos, ac repugnantes. Pœnæ enim perinde decernuntur in eos, qui & se baptizare distulerint, & qui filios ad Sacerdotes non remiserint baptizandos. Et hoc tamen nemo negat illicitum esse, ac etiam irritum. Sed & si paulo penitius rem totam perpendamus, tantum abest ut Judæorum filios invitis parentibus baptizari posse putaverint Wisigothi atque Hispani, ea lege pœnali constituta, ut potius non posse illos nisi consentien-

Serry Tom. VI.

tibus parentibus baptizari, persuasum habuerint. Quandoquidem illorum consensum metu suppliciorum extorquere tentarunt lata lege, non utique tentaturi, si minime necessarium judicassent.

III. Sed cur, inquires, vis illa Judæis illata est ab Hispanis, & Wisigothis? Respondeo pio quidem illorum Regum zelo factum id esse, sed imprudenti: quem non modo non probavit Ecclesia, sed improbavit apertissime, *Cap. sicut Judæi, extra de Judæis, & Saraconis: Statuimus ut nullus invitos, vel nolentes Judæos, ad baptismum venire compellat.* Et *Cap. 57. Concilii IV. Toletani*, quod occasione pii hujus, sed imprudentis Sifenandi seu ut alii vocant Sisebuti Regis habitum est, *de Judæis hoc præcepit Sancta Synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferri. . . . non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes; ut integra sit forma justitiæ.* Et post pauca: *Ergo non vi, sed libera arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi.* Quod idem inculcatur *Cap. de Judæis dist. 45.* Nulla itaque legum illarum a Wisigothis, & Hispanis latarum ratio habenda est.

Quia tamen, ut habet regula juris, multa fieri prohibentur, quæ tamen facta tenent: ac etiam, promittere liberum est, promissis stare necessarium: sanxit non semel Ecclesia, ut qui metu suppliciorum excitati, baptismum susceperant, aut se suscepturos sponderant, quique aut baptismum contulerant filiis suis, aut se promiserant collaturos, factis stare atque promissis; pœnis etiam gravissimis intentatis, si vel a suscepta semel Christiana religione descicerent, vel a promissorum fide resiliunt. Quo spectant pleraque Capitula Concilii IV. Toletani a 56. ad 65. & *Cap. 9. Concilii XII. & totum ferme Capite Majores, de Baptismo, & ejus effectibus.* At quid hæc omnia, rogo vos, ad præsens institutum; cum de baptismate pueris conferendo disputemus, invitis illorum parentibus, qui nihil unquam Ecclesiæ, seu libere, seu supplicii excitati promiserint?

IV. Addiderim ad cumulum solutionis, Hispaniarum Judæos, lege ab Egica Rege sancita, & in XVII. Concilio Toletano confirmata, *Can. 8.* perpetua servitute fuisse damnatos; tum in pœnam perfidiæ, quod suscepto semel baptismate, ad vomitum redissent; tum in pœnam perduellionis, quod Regni fastigium sibi per conspirationem usurpare tentassent. Quæ pœna multati cum essent, nil mirum, si illis etiam invitis, illorum filios baptizassent. Pœnali siquidem servituti addicti, patriæ potestatis jure excident, non radicali quidem, ut vocant, sed proximo saltem & expedito.

Neque movet si forte dixeris: posse ergo perinde quoscumque Principes eadem arte Judæorum filios invitis parentibus baptizare; si nimirum civiliter sibi subjectos pœnali servitute damnarint. Non movet inquam, quia hanc pœnam Judæis indicere nequeunt Principes sine causa, & quidem omnium maxima, qua vel morte damnari meruerint. Alias non vitatur injuria collati violenter baptismatis, sed alia longe majori cumulari.

V. A momentis ab auctoritate petitis feliciter expeditus, ad momenta rationum accedo. Inter quæ palmare illud est, quod superiori Capite non segniter occupavi, quodque in hanc formam efferi potest. Idcirco non possent filii infidelium dissentientibus ac repugnantibus parentibus baptizari, quia jus naturale patriæ potestatis violaretur: primo quidem, quod illis ipsis invitis filii baptizarentur, ad quos naturali jure pertinet, de mediis ad salutem necessariis illis providere. Secundo, quod infantes baptizati illorum potestati eriperentur,

Q 2

tur,

tur, sub quorum cura naturaliter degere debent: At parentes infideles eo iure tametsi naturali privari merito possunt; cum illo tam indigne abutantur, baptismatis collationi repugnando; filiosque prava religione imbuendo: est enim commune proloquium, quo quisque abutitur iure, eo privari meretur. Nihil itaque vetat quominus pueri baptizentur. Quod etiam firmatur exemplis. Si Pater E. G. filios suos vellet occidere, Princeps innocenti vindicet filios ejus eriperet potestati, qua tam insigniter abuteretur: Et si eos pejerare, & blasphemare doceret impius pater, hos quoque Christianus Princeps illius curae atque institutioni subduceret, ob sacrilegium patriae potestatis abusum. Quidni ergo pariter filios patriae potestati surripiat, qua perinde in illorum perniciem pater abutitur, dum isdem baptismum conferri non finit, & Judaicas superstitiones illis instillat?

Una ego spongia jam delevi, quaecumque subtiles illi disputatores per multas paginas arguantur; multique argumentis evici superiori Capite, eos, qui iure abutuntur suo, illo quidem privari posse, sed ab iis duntaxat, qui auctoritatem in illos habent, non qualemcumque; sed eo in ordine, in quo abusus admittuntur. Porro infidelis, qui filio suo baptismum dari non vult, iure abutitur suo, in ordine supernaturali, nempe supernaturali legem de fide, & Christiana Religione amplectenda violando. Princeps autem nullam in ordine supernaturali auctoritatem in illum obtinet, sed in ordine tantum naturali, atque civili: igitur infidelem suo illo quo abutitur iure privare non potest. Multo minus Ecclesia poterit, cui ille nulla ratione subicitur.

Quae autem in oppositum proferuntur exempla, fortis sunt longe disparis. Qui etenim tentat occidere filium, aut cum pejerare, & blasphemare docet, peccat contra legem naturalem atque civilem, adeoque nil mirum si a Principe, cui utroque in ordine subditur, suo illo quo abutitur iure privari potest. Idem proportione dicendum de potestate defendendi innocentem: stare quidem illam penes Principem, ubi innocens injuriam patitur in ordine naturali atque civili; non itidem ibi injuriam patitur in ordine supernaturali; in quo certe patitur filius, cui infidelis parens baptismum denegat, aut illi conferri non finit. Ad Ecclesiam potius vindicta illa pertineret, si ejus auctoritati subesse injuriam parens: at ut ille minime subest, ita & illa vindictam minime sumit.

VI. At inquit fortasse mihi: Judaei hoc pacto peccantes in legem supernaturalem, dum filiis suis baptismum dari non sinunt, ab illo saltem Principe puniri, & patriae potestate qua abutuntur privari poterunt, qui utraque in subditos auctoritate pollet, spirituali nimirum & temporalis; qualis profecto est Romanus Pontifex, qui plures in ditionibus suis Judaeos habet.

Lepide vero atque argute! Scilicet Papa in Judaeos suarum ditionum utramque potestatem exerceat, spirituales, & temporales, sitque, si superis placet, etiam Pontifex Judaeorum? Abfit. In subditos quidem fideles utramque potestatem exerceat Romanus Pontifex in ditionibus suis; in Judaeos vero sibi subditos temporalem duntaxat exerceat, estque illis unice civitum Dominus, non princeps sacrorum.

VII. Majorem difficultatem habebit quorundam observatio, qui dicunt; Si Judaei Mosaeicae legis observantiam omnino neglexerint, adeo ut nec filios suos circumciderent, nec Sabbathia sua, & Neomenias observarent, possent illos Princeps ad eorum omnium observantiam adigere. Imo tenentur fidei Quaesitores in hoc ipsum invigilare, ut suis legibus vivant, statisque, ut ex Aymarici Placentini directorio compertum est. Cum tamen

non nisi contra legem supernaturalem, Mosaeicam scilicet, ea in occasione Judaei peccarent. Quidni ergo pariter cogantur ad baptismum filios conferendum; ac si remaneat, patriae potestate priventur; quamquam tunc in legem supernaturalem tantummodo peccent?

Verum & id falsissimum est, Judaeos non nisi in supernaturalem legem peccaturos, si Mosaeicam legem omnino neglexerint. Imo & contra naturalem, & contra civilem perinde peccarent: in naturalem inquam, quia ex quo Mosaeicam legem publice profiterentur, seque ad illius observantiam solemniter obligarunt, peccant contra promissam fidem, & contra rationis dictamen, si eam, durante quidem ac manente erronea conscientia, non observant: in civilem vero peccant; quia civili, & politica lege cautum est, ne cives exleges vivant, hoc est, sine ulla omnino lege: nihil enim quieti Reipublicae nocet magis. Exleges autem Judaei viverent, si ne legem quidem Mosaeicam observarent. Idque Principi causa est, cur illos ad Mosaeicam legem, quam professi sunt, observantiam possit adigere, adigatque re ipsa. At nil simile accidit, dum Judaei filiis suis baptismum dari renunt, & Christianae Religionis, quam nunquam professi sunt, instituta non servant.

VIII. Momentum rationis alterum petunt aliqui, contra eandem statutam regulam, ex generali Christi mandato, de baptisate mortalibus omnibus conferendo, *Matthaei ultimo, Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Cui tamen mandato infideles parentes obstitunt, dum filiis suis baptismum conferri nolunt. Quo posito, sic sibi videntur subtiliter disputare: ubi plurimum dominorum invicem subordinatorum contrariae sunt voluntates, nemo non videt superioris domini voluntatem impleendam esse potius, quam inferioris; Deique praecipio potius, quam hominis repugnantis genio obsequendum: At Deus vult baptismum parvulis dari, parentes nolunt: filiis itaque baptismum conferendum est, parentibus licet repugnantibus, & obstitentibus. Maxime vero cum parentum assensus non nisi conditio externa sit, quae suppleri ab Ecclesia potest, suppletque re ipsa saepe numero.

At & id minus ceteris urget. Quamquam enim supremi Domini voluntas implenda omnino sit, neglecta etiam inferioris Domini voluntate, ubi ita supremus Dominus se velle significat: minime tamen ubi supremus Dominus voluntatem suam duntaxat impleri mandat, accedente inferioris Domini voluntate, cujus jura facta testaque servari jubet. Sic E. G. Principi obediendum est potius quam Praetori; imo obediendum est Principi repugnante Praetore, si ita se velle significet Princeps: at si mandati sui observantiam nolit Princeps, nisi accedente Praetoris assensu, tantum abest ut repugnante Praetore impleri debeat, ut potius Principem offendat quisquis ita impleverit. Ita porro se res habet in praesentia. Vult equidem Christus Dominus baptismum omnibus hominibus dari, atque adeo pueris nondum ratione utentibus; at servato juris ordine, hoc est, accedente voluntate parentum, quorum sub cura naturaliter degunt; quae quidem nisi accesserit, nec Deus quidem vult pueros baptizari.

IX. Certe si quid evinceret arguta haec, perinde probari posset, baptizari debere adultos homines, etiam nolentes, ac repugnantes, hocce perbello sophismate. Ubi plurimum dominorum invicem subordinatorum contrariae sunt voluntates, superioris Domini voluntas implenda est potius quam inferioris: sed Deus, qui supremus est Dominus, vult adultum hominem baptizari: igitur quamquam nolit ipse, nihilofecius est baptizandus. Quasi vero? Vult equidem Deus baptizari adul-

adultum hominem; at non veluti truncum, ac stiptem; sed ut ratione utentem, & electione voluntatis: Quare si nolit homo, nec sic quidem Deus velle censetur, ut baptizetur.

Jam quod additur in argumento, parentum assensum in baptismum filiorum, conditionem externam duntaxat esse, inutilitatis est plenum. Externa quidem conditio est, at naturali jure desiderata; quae licet suppleri possit, ut sine illa baptismus validus sit, minime tamen ut sine ipsa sit licitus; nisi parentes casu aliquo patriae potestatis jure devoluti sint, aut illius usu sint impediti. Tunc enim nulla illis irrogatur injuria, si iis inconsultis pueri baptizentur.

X. Erit fortasse qui dicat, dominium despoticum, quod Princeps in servum seu mancipium obtinet, nihil magis supernaturale esse, quam dominium civile quod exercet in subditos: ut quid ergo, ratione domini despotici, filios mancipiorum poterit baptizare invitis parentibus, non itidem filios civiliter subditorum? Respondeo id accidere, quia tametsi utrumque dominium per se se & immediate non se extendat ad baptismum pueris conferendum: (jus enim naturale ad supernaturalia per se se & immediate ferri non potest) dominium tamen despoticum filios a parentibus separare in perpetuum potest, seu per venditionem, seu per donationem; qua femel facta separatione, per accidens velut evenit, ut Ecclesia baptismum filii conferat. Haec autem separatio civili duntaxat potestate licite fieri nequit, sed despotica tantum.

CAPUT XXIII.

Possunt ne filii infidelium baptizari, ipsorum parentibus consentientibus, imo & postulantibus; se postulante illi alio fine, quam ut Christiani baptisate fiant, sed ut morbo curentur aliquo?

NON est casus iste ad arbitrium fictus, sed accidit saepe numero apud barbaras nationes; pro quo dilucidando solvendoque, Romanis Pontificibus supplicatio saepe facta est.

Sic anno 1145. Romam ad Eugenium III. Legatus Armenus Episcopus retulit, teste Baronio in *Annalibus n. 24. Quod in consilio Armeniae quaedam gentes essent, quae fetus suos fetentes generarent, eosque statim ad aquas Armenorum lavandos transmitterent: quos cum illi baptismatis unda tingerent, innatum eis fetorem propellerent; mox tamen renissi, ad paganissimi ritum & spurcissimam redibant. Quod utrum faciendum esset: inem Romanam Ecclesiam consuluerunt.*

Non ablimile quidpiam elapso proxime saeculo quæsiere nonnulli præcones Evangelici, vineam Domini in Imperio Ottomanico excolentes; qui Judaeorum atque Turcarum filios, parentibus rogantibus ac etiam compellentibus, baptizaverant, ut fetore nescio quo, morbove tabifico liberarentur, non ut sacra lotione fierent Christiani. Pro cujus dubii solutione non parum laboratum est Romæ, Consultoribus & Cardinalibus in varias sententias abeuntibus: ut apud Cardinalem Albizium legere est lib. de *Inconstantia in fide Cap. 37. num. 47.*

Idem Eminentissimis Patribus ad solvendum propositus est Casus anno 1674. Cum enim varia Congregationi S. Officii solvenda dubia propouisset Dominicus Navarette Ordinis Prædicatorum, in Regno Sinarum Missionarius Apostolicus; quorum unum in materia Sacramentorum his verbis expressum erat: *Audientes infideles Sineses a Neophytis, quod baptismus a demone liberaret, sitque medicina ad hoc & similia salutaris; petunt ba-*

pismum liberis suis infirmis, sive a demonia vexatis. Quæritur an liceat præfatis ob prædicta morbo eos baptizare? Horum dubiorum solutionem demandavit S. Congregatio binis tunc Consultoribus; RR. PP. *Laurentio Brancato de Laurea Ordinis S. Francisci Minorum Conventualium, (quem postea summa merita ad Purpuram eve-xerunt,)* & *Cajetano Mirabello Clerico regulari.* Iique post maturam examen die tandem 22. Aprilis, ad hoc peculiare dubium responderunt, *Ob sola morbo illa non licet baptizare.*

II. Eo brevi responso solutam habes propositam titulo quaestionem; quam luculenta ratione jam solverat Doctor Angelicus in 4. *Sent. dist. 31. quaest. 2. art. 2. ad 4. Quæritur intendere sanitatis conservationem, (& morbi cuiusque depulsionem) non sit per se malum, tamen hæc intentio efficiatur mala, si ex aliquo sanitas intendatur, quod non est ad hoc de se ordinatum, sicut qui ex Sacramento Baptismi tantum salutem corporalem quaerere.*

Accedit & altera ratio, a nobis saepius inculcata, quæ baptismatis collationem iis in casibus multo magis illicitam probat, Quod nempe pueri illi eo fine, postulantibus ac etiam urgentibus parentibus baptizati, sub eorum postea cura relinquuntur; unde certa & indubitata illorum subversio sequitur.

III. Non est itaque cur mihi quispiam objiciat, licuisse olim in veteri testamento cuiquam liberet semetipsum circumcidere, alio fine alioque consilio, quam ut aggregaretur populo Dei; sed potius ut aliquo curaretur morbo, aut etiam ut majori valeret carnis fecunditate. Nec enim inde consequens est, licere referre cuiquam Sacramentum Baptismi suscipere, ut aliquo ex morbo convalescat, non ut fiat ea lotione Christianus.

Dispar enim est Circumcisionis ratio, quam Baptismatis. Circumcisio enim, uti & alia veteris legis Sacramenta, sola constabat materis, absque forma; hoc est, sola fiebat abscissione præputii, absque ulla prolatione verborum, quæ formæ constituentis rationem haberent. Unde Sacramenti rationem non habebat, nisi fieret intentione implendi mandati, a Deo Abrahamæ dati, ad quampiam aggregandum populo Dei. Si autem ea mente non fieret, Sacramentum re ipsa non erat, sed medica duntaxat operatio, quam exercere cuiquam liceret, ad depellendum morbum aliquem, de consilio medicorum, aut ad carnis fecunditatem procurandam; quod circumcisus fecundior sit præputiato. Atque ita non violabatur a præputii abscissione circumcisionis Sacramentum; cum vel sic facta, Sacramentum re ipsa non esset; uti nec modo Sacramentum est, dum frequentatur a Turcis, solo procurandæ fecunditatis studio. At vero externa corporis ablutio, quam Baptismum de more dicimus, ex quo fit cum Sanctissimæ Trinitatis invocatione, quæ illius est forma constituens, Sacramentum hoc ipso est, quale est a Christo Domino institutum, ad spirituales animæ mundationem. Quare si alia mente, alioque consilio fiat, quam ut baptizatus mundetur animo, fiatque Christianus, profanatur ac violatur legis Evangelicæ Sacramentum, quod ea in occasione confertur; ingenisque admittitur sacrilegium, tam ab eo qui recipit, quam ab eo qui confert.

Perperam etiam opponet aliquis, Constantinum Imperatorem a Sancto Sylvestro Romano Pontifice fuisse baptizatum, ut lepra, qua diu antea laborabat, mundaretur, Baronio referente in *Annalibus ad Annum 324.* Perperam, inquam: ut enim mittam, quæ hac in parte ab Eminentissimo Scriptorum referuntur, a ceteris ferme omni-

bus Historicis reici; non sic tamen, ut a lepra mundaretur, baptizatus dicitur est a Baronio Constantinus, quod solam lepræ mundationem fieri vellet suscepto Baptismate, gentilitate retenta: Equis enim id sibi fingat animo, cum diu ante catechumenus esset Imperator, quam baptismate tingeretur? Sed ut accepta baptismatis gratia, absterfoque per salutarem aquam vetustatis errore, Christum induens, atque in novam creaturam transiens, a lepra quoque, suscepti pie religioseque Baptismatis merito, mundaretur. Quare nihil habet qualecumque falso iactatur Constantini factum, quod ad rem ipsam de qua hic agimus trahi possit.

IV. Quid ergo, inquit, facturi sunt Ministri Evangelici, qui in Ottomanico Imperio a Turcis quandoque compelluntur, ad ipsorum filios baptizandos, non ut Christiani sacra lotionem fiant, sed ut quibusdam corporis infirmitatibus liberentur?

Fuere qui Turcas illos iis in casibus ludendos existimaverint, luserintque re ipsa, dato pueris illorum in speciem tantum baptismatis Sacramento, violata nimirum sacri ritus materia vel forma. Sed hanc agendi rationem Romana Congregatio lato decreto damnavit: cuius est testis locupletissimus Cardinalis Albizius, laudato jam libro de Inconstantia in fide Cap. 33. Num. 56. In sacra Congregatione fuit resolutum non licere Sacerdotibus, qui a Turcis compelluntur, ad baptizandos eorum filios, non ut Christiani evadant, sed pro salute tantum corporali, hoc Sacramentum administrare, non servata debita forma, vel materia; quia

in eo nihil debet fingi, ut ex decreto sub die 6. Decembris 1612. Damnavit & postea Innocentius XI. Anno 1679. die 2. Martii, Propositionem hanc Num. 29. proscribendo: Urgens metus gravis est causa iusta Sacramentorum administrationem simulandi.

Ex quo perinde videas, non licere alteram viam inire, a nonnullis excogitatum; Sacramentum scilicet ministrando, retractata ut loquuntur intus in animo intentione, id faciendi quod facit Ecclesia. Hec etenim fictio esset nihilo tolerabilior superiori, quam sacra Congregatio illicitam declaravit. Præterquam quod secreta illa intentionis retractatio nihil plane valeret irritando Sacramento, uti tam multis evicimus argumentis.

Quapropter reiecta illa ludendi fallendique arte, quæ Ministros Ecclesiasticos minime deceat; Turcas illos tam iniqua tamque illicita a nostris Sacerdotibus, tam anxie, ac etiam illata quandoque vi postulantibus, dedecore existimo, & a præconcepto errore illo suo, quantum fieri poterit, avocandos; serioque monendos, non esse a Christo Domino institutum Baptismatis Sacramentum, ut corporales depellat infirmitates; (quamquam miraculo id præstet aliquando) sed ut faciat insula fide ceterisque virtutibus Christianos. Quibus si nolint monitis acquiescere, urgeantque hostiliter & tyrannice, ut vi obtineant, quod iure non possunt; vitæ fortunarumque periculum potius est adendum Ministris Evangelicis, qui vicem Domini iis in regionibus excolunt, quam sacrum Mysterium profanandum ac violandum.

F I N I S.

I N D E X
M A T E R I A R U M.

A

Ablutio pueri ad balnea ducti, cur Sacramentum non sit. Pag. 103. 111
 Actus humanus duobus modis fictus dici potest. 100, 120.
 Ado Viennensis, primus Genesis in theatro coram Diocletiano Imperatore baptizati fabulam evulgavit. 76
 Adrianus I. Rom. Pont. externam ad suscipienda valide Sacramenta intentionem sufficere docet. 89
 Africani Presules questionem de rebaptizandis hæreticis, dum ad Ecclesie redeunt unitatem, disciplinæ putabant esse, non dogmatis, multo minus fidei. 102
 Alexandri VIII. Decretum de Ministro baptizante, qui intra se secreto deliberat, non facere quod facit Ecclesia, explicatur: idemque nihil Catharini Systemati officere demonstratur. 101
 Alfonso Salmeronius, vide littera S. Salmeronius.
 Ambrosius Catharinus, vide littera C. Catharinus.
 Armenorum Legatus ad Eugenium III. questurus de Baptismate Gentilibus conferendo, ad nativum fetorem depellendum, non ut Christiani fierent lotionem Sacra. 125
 D. Athanasii pueri facios baptizantis factum omnino dubium apud præfatos historicos, primosque illius narratores. 77
 D. Athanasii factum ex adjunctis circumstantiis falsi convincitur: uti putida fabella rejicitur. ibid.
 D. Athanasius Episcopus Alexandrinus cur hæreticorum Baptisma rejecerit, etiam post Decreta Conciliorum Nicæni & Arelatenis. 102
 D. Augustinus de valore Baptismi joculariter & mimice collati admodum dubitavit. 75
 D. Augustini votum tandem impletum, de Synodo Oecumenica quæ de Baptismo mimice collato sententiam diceret. ibid.
 D. Augustinus quam definitionem ea in re fieri voluerit, juris ne, an facti? 76
 D. Augustinus sententiæ Catharini præformator ac vindex. 89
 D. Augustini contra Donatistas Argumenta, Catharini Systema perinde confirmant. 91
 D. Augustinus quid nomine Baptismi fictæ & simulate suscepti intellexerit, explicatur. ibid.
 D. Augustinus Baptismum sine fictione vult suscipi, ut valeat ad justificationem suscipientis, non ut valeat ad Characteris impressionem. 98
 D. Augustinus adventus larvatum Scribillatorem vindicatur; quod pueros per ora parentum atque gestatum in Baptismate credere dixerit. 115
 Auxilii presbyteri singularis sententiæ, de Baptismo violenter & invite suscepto. 112

B

Baptismum joco collatum validum dicunt Lutherani & Calvinistæ. 73
 Baptismum joco collatum nullum judicat Ecclesia Catholica. 74
 Baptismum a Judæo & Pagano collatum, servatis aliis de jure servandis, validum judicant Romani Pontifices, & sacra Concilia. 83
 Ad Baptismum Judæos, ac etiam Gentiles metu suppliciorum inducere vetat Ecclesia. 88
 Baptismum metu suppliciorum susceptum, modo fornicatus susceptio sero fiat, validum dicit Ecclesia, quantum ad characteris impressionem. 89
 Baptismum ita suppliciorum metu susceptum, cur raturus sit dicitur; cum quæ meta sunt, nulla priorum esse, jura decernant. 119
 Baptismus a Mago collatus, animo pueros ea cerimonia diabolo devovendi, ratur tamen validusque judicatur. 100

Baptismus joculariter & mimice collatus, quomodo distinctus a Baptismate fictæ & simulate suscepto. 98
 Baptisma Calvinistarum an valeat, aliquando dubitatum in Galliis, ac tandem valere definitum est. 74, 84.
 Baptismi formæ violatio, ex simplicitate & mera ignorantia latinæ locutionis, non irritat Sacramentum. 104.
 Baptizantis maculosa conscientia, occulta tamen & ignorata baptizato, non officit Sacramentum. 91
 Baptizandi mandatum a Christo Domino datum impleri non debet, nisi servato ordine juris naturalis. 124
 Baptisma conferti licite non potest, ad solius corporis medicinam. 125
 Ministris Evangelicis potius est adenda mors, quam quod pueros infidelium baptizent ad solam corporis medicinam. 126
 Baronius Card. de Baptismo Genesis in theatro suscepto resellit. 76
 D. Basilii cur hæreticos rebaptizari voluerit, etiam post decreta Concilii Niceni, & Concilii Arelatenis. 102
 Benedictus XIII. R. P. Summam Alexandrinam, Romæ ante annos aliquot editam, in qua Catharini systema aperte defenditur, vanalem ibidem proterre jubet. 101
 Benedictio Sacerdotalis, Matrimonii Sacramenti forma est juxta Theologos & Jurisperitos bene multos. 91

C

Celestinus R. P. Augustinianæ sententiæ assertor, de pueris per ora cordaque gestantium in Baptismo credentibus. 116
 Cajetanus (Thomas de Vio) Catharino prælatus, in deligendo publico totius Predicatorum Ordinis interprete D. Thomæ. Pref.
 Calvinus Luthero subscribens, Sacramentorum Ministros rem sacram valide facere vult, etsi ludant atque derideant. 73
 Calvinistarum Baptisma validum dicunt Pius V. R. P. & Concilia pleraque Gallicana. 74, 84
 Catechumeni haud ita tenelli & pueri. 77
 Canon dedit, de ebrio baptizante, corruptus. 79
 Carthagenense Concilium Augustinianam sententiam de pueris per ora cordaque gestantium credentibus in Baptismo, confirmat ac probat. 116
 Catharinus (Ambrosius) quis & qualis. Pref.
 Catharinus Scholæ Thomisticæ desertor. Pref.
 Catharini Systema de externa Ministri intentione explicatur, & a falsis interpretamentis liberatur, 80, 81.
 Catharini præcutores Theologi, & sequaces. ibid.
 Catharini Systema Romæ publice defensum, probantibus R. curiæ censoribus. ibid.
 Catharini Systema quam procul distet a Lutheranorum & Calvinistarum errore. ibid.
 Catharini Systema non omnino necessarium ad diluenda Lutheranorum contra Ecclesie fidem argumenta. 80
 Catharini Systema ad impietatem aditum non parat, imo multa devitat incommoda. 103
 Catharini Systema an minus tutum in praxi. 106
 Certitudo duntaxat moralis haberi potest de vero suscepto etiam in Ecclesia Sacramento. 80
 Christi solius intentio, voluntas, atque justitia effectum Sacramenti operatur. 91
 Christus summus Sacerdos an certo suppleat defectum Sacramentorum. 107
 Circumcisio in Colchis, Agyptiis, & Turcis, cur non erat etiam olim Sacramentum veteris Legis. 111
 Coactio quenam in suscipiente irritet Sacramentum, quenam non irritet? 88